…iscus

Bieżanowski Stanisl. Jos: Marmor sepulchrale —

MARMOR SEPULCHRALE,

Perenni memoriæ,

CLARISSIMI OLIM, & EXCELLENTISSIMI VIRI,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, ac Professoris,

CONSULIS CRACOVIENSIS,

dignissimi, & meritissimi;

DUM,

in Ecclesia Collegiata SS. OMNIUM Crac:
vltimo Christianæ pietatis obsequio,
exuuiæ mortalitatis eius,
tumularentur;

Virtutum, & Meritorum eius,

lugubri elogio,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pòëseos PROFESSORE,

DICATUM.

Anno Salutis 1674. Die 17. Mensis Iulij.

CRACOVIÆ,
Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ:

NOBILI, ET AMPLISSIMO VIRO,

D. ALBERTO SZTAMET,

Vrbis Cracouienſis, Conſuli meritiſsimo,

CLARISSIMI VIRI, Piè defuncti,

Vltimæ voluntatis Executori.

Author, S. & P.

AMicum pectus, meliore ſui parte ſuperſtes, & profundiùs apud Te, quàm in marmore ſcriptum, ad cor Tuum poſt funera redit, à quo viuens, nunquam receſsit. Nobilis, & Ampliſsime Vir. Hoc ei depoſitorium apud Te iam olim placuit; In quo amicitiæ, non marmor æternum, ſed animum coniunctiſsimum poſuerat, Tecumque vixiſse voluit, vt nunquam apud te moreretur. Vinculum illud mutuæ volũtatis, quo Tibi diu vir prudentiſsimus adhæſerat, vltimâ voluntate probauit; periodum vitæ cum eo finiens, cum quo circuitum egit. Placuit nimirum ſummi iudicij Viro, pectus in Te candidum, ſerium, & legum ſeruandæ amicitiæ retinentiſsimum: ſatisque habuit, tam fido, & integerrimo cordi, ſe totum, & dulcia pignora crediдiſse; cùm voluntatem ſuam apud Te viuere nòſset, etiam ſine tabulis, amore ſolo conſignatam. Ingens hæc fiducia decreuit, vt Te potiſsimùm deligeret; in quo cariſsimi liberi ſui, Excell: FRANCISCVS Filius, nuper laureâ Philoſophiæ Doctorali ornatus; & ANNA Filia, gratiæ, & pudicitiæ flos, Patrem ſibi non obijſse crederent; cùm inter tuum, & Paternum animum, nihil diſtare ſumma coniũctio fecit. Ereptum proinde vmbris mortalibus, & claritudine ſuâ, quam meruit, donatum ſepulchrali opere ad te fero; vt eum in marmore legas, in pectore ſerues, noſcariſque ex eo ab omni poſteritate, cùm ob eximia decora tua, tum ob id etiam laudatiſsimus, quod à Viro tanto dilectus, æſtimationem virtutis Tuæ merueris. Perennabit illa, cum ſummi Viri laudibus, quas hîc ego in compendio dedi; pertinere ad Muſarum negotia ratus; Vt Iuſtis ei Parentalibus obſequerentur; cuius ſceptris olim Rectoralibus paruerunt. Quod vt in ſinum gratiæ Tuæ deponas, operique dilecto, nempe in cauſa Amici faueas; eximiæ humanitati Tuæ, ſatis pro me dictum puto, cùm marmora loquuntur.

MARMOR SEPVLCHRALE.

Posthuma opera,

communes mortalium vindiciæ,
hoc in marmoribus agunt, vt mors in ijs ad Saxum offendat.
Durum hoc vitæ remedium, Libitinæ scopulum facit;
cui non alia ab hominibus plaga funestior;
quàm quod totos non tollat.
Superesse funeri virtutem, vmbras in marmoribus loqui,
Mortalitatis lenimen, atrox Parcarum indignatio;
contra quas, etiam saxa nobis militant;
quoties dolor, scribit in marmore læsus.
Nunquàm tamen marmora iustiùs cædimus;
quàm cùm sapientiæ in obsequium cedunt;
Lapides vtiq; pretiosi, in quibus Doctorum Nomen inæstimabile scriptum,
gemmas hominum seruat.
Ne rude mortalium genus, in Saxeã Pyrrhæ progeniẽ omninò desinat;
Viri sapientes, orbis velut animæ,
cælesti igne prouident;
Digni profectò, quibus animata marmora;
corda nempe, non Saxa, ipse Phidias scalpat.
Hoc Tibi marmor cædimus;
Medicorum gemma, sapientiæ corculum,

FRANCISCE ROLINSKI.

Vt officinæ Ægypti pro Te non sudent, pectorum latumias habe;
ex quibus lydium virtutis Tuæ lapidem hunc excidimus;
in quo posthuma secula experiantur,
quàm Vir aureus fueris.
Æternos Tibi characteres, in Porphyrite rubeo non damus;
Sufficit enim Rosæ Tuæ, quâ pro insigni vsus es, purpura;
vt ad eam mors erubescat;
quod cùm Te florem virorũ, oculis aufert, cordibus non eripit;

 Manus

Manus vespillonarias cruentârit.
Nec in terrarũ viscera imus, & Parij Te marmoris candor,
Venerabilem senio cygnum loquatur;
Ebur, & nix animi tui, vniuersi candoris epitome,
Satis incanuit ad gloriam, cùm absq; vitæ macula vixit.
Super adamante pectorum ergo,
Gemmam Te Virorum scribimus;
Non prodigio Naturæ, vt in Achate Pyrrhi;
Sed pietatis obsequio;
vt agnoscas, cælaturam gloriæ Tuæ, non vnius Olympiadis opus esse;
Cui celte ab ingenio venit.
Sed quæ illa vis mentium; quæ Tibi examussim adlaboret?
Cùm Tu Apellis linea illa fueris, supra quam Protogenes nihil.
Etiam in puluere mortis, vestigia tua eripis;
Et cùm ingenia prouocas, arcanum tuum Tibi soli reseruas.
Quãtuscunq; tamen fueris,
Totus licet effugias, etiam portio Tui, ingens posteris exemplar;
Et hoc fragmentum de Te, ad æstimationem, & mensuram Tui sufficit.
Naturæ dotes in Te,
Non collatæ, sed profusæ,
Decoram sedem, liberali animo cùm fecissent;
Virum vbiq; locutæ sunt, etiam cùm silerent.
Ingenio ad Oracula suada composito, maiestas etiam, à naturæ donis accessit;
vt palatium illud, quod intùs animo magnificentissimum fuerat;
ex aurei oris vestibulo nosceretur.
Ad hæc Gratiarum inuitamenta, Musarum consortia præsto;
Cultus, & elegans animus,
velut sudum illud, limpidumq;, quod in Crystallo diaphanum est,
radijs, quibus penetrari potuit in puncto;
etiam aliorum pectora, facilè penetrauit.
Felix ingenio, iudicio summus,
vtramq; hanc lucem, quæ sæpè discrepat, dum coniungit,
fontem claritudinis fecit;
ex quo, post vtramq; in fonte scientiarum Lauream,
Summâ virtute, authoritate, sapientiâ vixit,
Clarissimus Doctor.
Humanissimo viro, res seriæ semper dilectæ,
Mirùm

Mirũ eſt, quomodo à grauiori ſupercilio, elegãtias ſuadæ nõ amiſerint;
Eadem authoritate, & lepidæ, & ſeueræ.
Philoſophia, Matheſis, Medicina,
Primæ apud eum admiſsionis, cùm animi ſecretũ occupaſſent;
Humaniori ſtudio non denegarunt;
Indignum ratæ, oracula ſapientiæ, inconditè loqui:
Et cùm mente abundant, in verbis ſtipem quærere.
Sed iam totus Æſculapio ſacer,
ad ſacrarium eius Patauinum concedit, Magnus tanti Numinis Myſta futurus,
& iam ante laureas Doctor.
Duos tũ Italia viros, non tã fecit, quàm accepit magnos.
Studio quidẽ diſpares, ſed mẽte cõiũctiſsimos, viæ, vitæq; ſocios,
FRANCISCVM Noſtrum, & HYACINTHVM LIBERIVM,
Canonicorum Lateranenſium in Orbe Noſtro,
Coronam deinceps, & columnam;
vtrumq; ætate, & meritis venerandum.
Vrbs illa vetus Anthenoria,
Quam Diua ſalus, felices Pergami reliquias, in Orbis remediũ ſeruat;
Nihil in Doctore noſtro libentiùs,
quàm admirationem ſuam coronauit.
Mira Viri ſedulitas, admirabilior mentis capacitas;
Anteiuit docentium Nutus, & in Hippocratem tota abijt.
Mare illud Medicum,
quo nihil vaſtiùs, & naufragio propiùs nihil,
ante vela, & remos, cum ſtupore emenſus,
& portum, cum laurea Doctorali breui tenuit;
& iudicij de ſe, nouum apud exteros celeuſma audiuit;
Quando Doctor Polonus, ad curam magnæ ægrotantium familiæ,
Italorum & ingenia, & ſuffragia vicit.
Creditum viro regimen, annisq; compluribus id ab eo actum;
vt intelligeret Auſonia, etiam apud Sarmatas,
nec terrarum, nec animorum gelu æternum eſſe,
& hìc etiam ingeniorum delicias naſci.
Quales in illo,
Summis in alieno ſolo viris dilectæ,
eò fiduciæ, & æſtimationis venerant;
vt quem criſis Patauina, raro exemplo, domeſticis prætulit;
Eum

Eum ob medicæ artis præstantiam,
Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Legatus
Ad Byzantinam portam summæ rei interpres,
Æsculapium suum fieri voluerit.
Sed ille ad id muneris lectus, satis habuit;
In tanto numero, non laurum tantùm, sed palmam quoq; tulisse;
Vt in patria redux emineret.
Ætas tum, Medicorum in vrbe Regni primaria ferax;
Multos caput efferre non permisit,
Summa capita legens.
Ex vmbra tum eluctari, ingens claritudo fuit;
A magna luce multi combusti, multi retrogradi,
Aliò vt emergerent, recessisse.
Secuta Doctorem nostrum, vndique felicitas, & fama;
Cúm eam non haberet tantum, sed mereretur.
Breui inter præcipuos habitus,
à corporum cura, ad Principum corda transiit.
Maximo Heroi,
STANISLAO LVBOMIRSKI, Palatino Crac:
Ad ægritudinis lenimen delectus,
Diu inter morbi solatia, etiam vitæ elixir fuit.
Placuit in eo, manus simul, & suada Medica;
Hæc in eloquente Viro parauit, animorum pharmaco nectar:
Illa morbis absinthium, & fugam.
Summæ vbique gratiæ, non minor authoritas iuncta,
Virum Iudicij, & ex tripode respondentem,
Prudentiæ oraculum fecit.
Datus proinde ex omnium voto, vrbanis fascibus
Consul;
Vt ad fasces quoque literatos olim assurgeret;
in Senatu Academico, æquè pro loco, & gloria loci respondit
Doctor.
Responsa Hippocratica Doctori
Maxima negotia viro Consulari credita,
& cathedram, & Curiam, pari gloriâ impleuêre:
Ingens animi habitudo fatigari nescia,
Mirâ agendi dexteritate, suffecit omnibus;
Et si

Et ſana vbique, vt remedia promptè, ſic, & conſilia dedit.
Vices temporum, & in capite Regni hoſtilia,
Magnitudine animi vincens,
Poſt reſtitutam capitis auguſti fortunam,
dum ad coronæ Metropolim redijt, ad ſceptra ſcholæ Regiæ venit.
Erecto animo opus tum fuerat;
Cùm omnia è ruderibus Suecicis ſurgerent,
Vitales ſpiritus, nonniſi à magno pectore receptura.
Ergo ſapiens animus,
Qui doctis imperaret, & qui ſpiraculo vitæ, animaret omnia,
In hoc pectore, par ſceptris inventus,
Rei literariæ, non vnam animam dedit,

Dum,

Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis

RECTOR,

Supremarum Facultatum ſubſellia, Doctoribus impleuit.
Verè literarius Iupiter;
Qui tot Mineruas prouido capite genuit;
Verè Delphicus Apollo;
Qui tot oracula, in Doctoribus reſpondit.
Dignus erudito Imperio,
qui trabeam Rectoralem, abſque togato non induit Senatu.
Debent illi Maieſtatem ſuam literæ;
Debet ſumma capita Phœbus;
Ex quibus in eruditum Academiæ ſenaculum lectis,
Auguſtiùs ſapientiæ Capitolium fecit;

In quo,

Tot columnæ, quot in ſummis Doctoribus Atlantes,
Sufficient illi, vt mole aliâ non indigeat;
Quæ eum, victuræ gloriæ, in marmoribus ſeruet.
Nempe illi poſthumum decus,
Non ſuper Marmorum, ſed pectorum ſuper lydio lapide cædimus;
in quo legant eum, omnis æui Muſæ, loquantur Gratiæ,

Virum,

Animo, virtute, medendi peritiâ, auctoritate, conſilio,

Magnum.

Eâ in DEVM pietate;
Quæ conſcientiam rectè illibatam decuit;
Eâ literarum gloriâ;

Quæ in eo, vſque ad faſces eruditos ſumma extitit;
Eo grauitatis, prudentiæ, magnique iudicii ſe[illegible]
Quo orbis decus, & Conſulare nomen, amplum vbique re[illegible]nuit;
Eâ Regum, Antiſtitum, Procerum, æſtimatione, & Gratiâ;
Quâ Medicorum in vrbe Primatem, diua ſalus in pretio fecit.
Cui venerabile Senium,
Annis grandæuam ætatem, & meritis, ſed animo erectã, cùm dediſſet;
Planè quot canos, tot niuea pro ſe vota meruit;
Niſi magnos Viros, vt naſci expedit, ita & mori oporteret.
Sed cùm inextincto perennare, non licuiſſet;
Prouidit ſumma illa bonitas
Quæ magna exempla; bono publico, & ſuppeditat, & prorogat,
Vt lampas hæc ſenſim deficiens,
Ad vltimã vſq; ſcintillam probaret, quàm magnâ luce inclaruit;
Quæ ſenſim tandem in beatam deſinens,
Sacramentis omnibus munitum, ad vltimam horam,
Non impulit, ſed deduxit;
Paratum ad omnia, vt virum ſapientem,
Qui cùm mortem vbique expectauerit;
In Peruigilio Diuæ Margarethæ, gemma virorum eam inuenit;
Pretioſus omni ætati,
Quæ rarò pares producere, diu ſimiles expectare ſolita;
Ad hoc Marmor Sepulchrale cùm reſpiciet;
etiam in vmbra magnum,
æſtimabit.